

1593
Palmæ con-
ſtruenda
provincia
Marco An-
tonio Bar-
baro deman-
data.

ac munitionum peritissimo , exhibitum Senatus probavit . Marcus Antonius Barbarus , cum supremo imperio legatus , in Carnos missus ; atque in iis , quæ ad eam subſtructionem pertinerent , suprema illi auctoritas concessa . Datæ ad urbium atque oppidorum magistratus literæ , quibus omnibus in rebus , quæ ad novam munitionem ſpectarent , ei parere jubebantur . Pecunia expensarumque ratio Joanni Garzonio manda- ta ; qui ædificationi præfexſet curator Marcus Antonius Villa- clara a Senatu eſt datus . Palmæ nomen , Palmata proximo vico innuente , novæ arci inditum ; vel inde præſagio quodam longiſſimi ævi capto , quod hæc arbor ſeculorum ſpatia æquet ; vel quod palmam victoriæ ſignum jam inde a priscis tempo- ribus uſque ad hanc tempeſtatem cuncti existimaverint . Ut- cumque res ſe habeat , nonis octobris , ob inſignem ad Echi- nadas victoriam , Justinæ virgini ac martyri dicata die , præclari operis fundamenta jaſta ſunt . In iis prisco more ex auro , argento , ære monetæ immiſſæ , quarum altero later leone alato inſculpto , divi Marci , Reipublicæ tutelaris , sym- bolum , exprimebatur hiſce literis : PASCHALE . CICONIA . DVCE . VENETIAR . ET . C . ANNO . DOMINI . M . D . XCIII . Altero , ſigno crucis imprefſo , munitio aſſurgens viſebatur , adſcriptis notis arci : FORIIVLII . ITALIAE . ET . CHRIS . FIDEI . PROPVGNACVLVM . Crucis vero : IN . HOC . SIGNO . TVTA . Neque , ut magnis in rebus ſolet , præſenſiones quædam ingentis hujusce operis defuere . Ferunt enim viginti antea annis paftri cuidam , Camotio nomine , gregem iis in locis paſcenti , per quietem innumeram gentem , quæ ibi arcem conderet , apparuiffe ; alios fossas excavare ; alios propugnacula erigere ; alios ædificia ſtruere . Rei novitate ſtupenti , ecquidnam illud eſſet , interroganti , reponſum fuiffe : *An non cernis , nos bic erigere arcem velle ?* Tunc terrore inſueto perculsum atque attonitum , relicto grege , ad divi Laurentii propinquum pagum reverſum , quid ſibi acciderit narraffe ; ludibrio , uti ebrium habitum fuiffe ; proceden- tibus vero annis , ſpectrum facto probante , admirationi atque stuþori fuit .

Novæ hujus excitandæ munitionis ſummis undique laudi- bus decretum exceptum eſt , quo egregius non modo Veneto- rum